In Dei Filio ſibi dilectis RR. Patribus, ac Fratribus, & Sororibus Univerſi Ordinis FF. Prædicatorum

FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR, EJUSDEMQUE UNIVERSI ORDINIS HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS

Salutem, & mortis meditationem.

ETſi factum diuturnitate graviſſimi, periculoſiſſimique morbi fuit, ut nuncius de interitu R. A. P. M. F. Vincentii Mariæ Ferrettii Procuratoris Generalis Ordinis nemini veſtrum non expectatus; tamen quod non dubitaremus, quin propter ſingularem Cl. Viri in adminiſtrandis rebus dexteritatem, prudentiam, integritatem acerbus vobis, luctuoſuſque futurus eſſet; dum muneri noſtro, notæque in eum pietati ſatisfacturi, illius funeri juſta ab omnibus ſolvi hiſce litteris præciperemus; curandum id quoque duximus, ut commemoratione illius recte factorum, ſpeque, quam ſatis firmam de perpetua ejus ſalute concepimus, non ſolum fortius ipſi dolorem noſtrum ferremus, ſed etiam leniremus veſtrum. Non enim demitti, atque concidere, ſicut eorum, qui ſpe carent ſempiterni boni; ſed erigi Chriſtiani hominis animum juſtorum morte par eſt, ac rerum pie ab illis, integreque geſtarum recordatione minus bene ſecum, qui deſtitutus eorum conſuetudine, conſiliis, exemplis, miſeræ hujus vitæ ærumnis quaſi fluctibus jactetur, quam cum illis actum putare, qui portum ſalutis tenuerint, fructumque tulerint virtutis, & meritorum. Atque exiſtimationem quidem, quæ ſumma certe apud omnes fuit, a Ferrettio, non opinione, famaque hominum, quæ fallax perſæpe eſt, ſed morum candore fuiſſe conſtat, & virtute partam. Nam cum Ancone nobili imprimis genere natus, liberaliterque a parentibus educatus, & octavo inde, ac decimo ætatis anno in noſtram Societatem cooptatus eſſet, id unum deinceps cogitaſſe viſus eſt, quibus demum modis & ſaluti ſibi, & rei Ordinis publicæ decori, utilitatique eſſe, ut debebat, poſſet. Cumque niſi a Deo, atque ab hominibus iniſſet gratiam, horum alterutrum obtineri perſpiceret nequire; maximo ſibi opere enitendum putavit eſſe, ut ſeveritate diſciplinæ, vitæque innocentia divinum ſibi numen propitium redderet; fide vero, ac

bene-

Digitized by Google

benevolentia ſic homines devinciret ſibi, ut facilem ſibi ipſi ad eos aditum muniret, impetraretque ab iis, quæ ad ſalutem, ad jus, ad amplitudinem Ordinis conferre viderentur. Quare diſciplinæ, religioni, virtuti, ſtudio denique divinarum rerum ita ſuavitatem morum, ad quam a natura comparatus erat, comitatemque conjunxit; ut cum Deo, quod facile nobis perſuademus, acceptus eſſet; tum non ab iis modo, quibuſcum amice verſatus fuerat, ſed ab iis etiam, quos aliquando forte redarguerat, & penderetur maximi, & unice diligeretur. Qua quidem re cum jam uſque ab adoleſcentia floruiſſet, dignus eſt habitus qui principio ſtudia noſtrorum juvenum, continuo Cathedram Caſanatenſem, deinde Minervitanum Cœnobium regeret. Quo tempore cum conſpicua ut manſuetudinis, ita robuſti, dum res monebat, conſtantiſque animi argumenta dediſſet; oſtendiſſetque, quæ in ſe, quamque magnæ ineſſent ad majora quæque gerenda opportunitates, ſumma conſenſione, cunctiſque ſuffragiis, celerius quam ſuſpicari potuiſſet, Provinciæ Romanæ univerſæ præfectus eſt. Poſt ubi elatum, divulgatumque fuit, qua prudentia, æquabilitate, juſtitia, qua cuſtodia legum, quanto ſuorum emolumento, & plauſu tam difficili munere perfunctus eſſet, a Suprema Inquiſitione Spoletum primum, inde Peruſiam Quæſitor eſt cauſſarum de Religione miſſus. Hoc onere ſuſcepto ita ſe vir clariſſimus utraque in civitate continuit, ut conciliatis ſibi omnium, imprimiſque civium nobiliſſimorum animis, reque egregie adminiſtrata, nullo modo ſefellerit, quam de ſe concitarat, expectationem. Mortuo deinde A. R. P. M. F. Angelo Guillelmo Molo ab optimo ſene Rmo P. F. Thoma Ripollio Magiſtro Ordinis, quem nos ſemper parentis loco colueramus, abſens Ferrettius incredibili civium Romanorum, omniumque Societatum, atque Ordinum voluntate Procurator factus, tanta cum laude annis ipſis viginti ſuſtinuit Procurationem, ut illius quiſque ſedulitatem, æquitatem, prudentiam celebraret; humanitatem cum gravitate quadam, dignitateque conjunctam admiraretur. Ac Benedictus XIV. P. M. qui quantum ille virtute, aliiſque animi ornamentis excelleret, intellexerat, planeque cognoverat, bis eum Ordini univerſo cum Vicaria poteſtate præfecit, Præſidemque Bononienſium Comitiorum, & Propræſidem Romanorum dixit. Quanta vero animi moderatione, qua providentia, qua Patrum, qui ſuffragia laturi venerant, pace, & tranquillitate utrumque id munus expleverit, tam clarum, tamque teſtatum eſt, ut facilius a vobis percipi, quam litteris explicari a nobis poſſit. Hoc breve dicimus: Ferrettium in utriſque Comitiis cum ſingu-

larem

larem apud Benedictum Pontificem, a quo patrie diligebatur, inveniſſe laudem; tum ſic apud Patres tueri ſuam pro publica utilitate dignitatem noſſe, ut quamvis familiariter cum illis, comiterque ageret, nihil tamen ei, quam in ſe habebat, venerationi adimere videretur. Annis autem ipſis duobus, quibus eſt Ordinem moderatus, bonos omnes hortatu, commendatione, actione etiam gratiarum ad inſtitutum perſequendum inflammabat; ſontes vero, qui benevolentia reſipiſcere recuſarent, aculeis gravis, ſeveræque orationis, qui eos vehementer pungerent, pœnaque ſæpe inflicta adeo reprimebat, ut ad ſanitatem, officiumque redire cogeret. Atque ſic ſtatuatis, volumus; nihil fere tam arduum, tamque difficile fuiſſe, quod non Ferrettii diligentia, ſtudioque in Ordinem, vinci poſſet. Quod cum iis, quas diximus, aliiſque permultis rebus, tum Annalium exemplo perſpectum eſt. Nam quod tot annis nemini umquam obtigit Præſidum ſuperiorum, id ille eſt conſequutus, ut auctoritate, nutuque ſuo volumen eorum primum jamdiu cœptum, ſingulari demum noſtrorum laude, & utilitate doctis viris non adprobantibus ſolum, ſed etiam admirantibus breviſſimo tempore perfici, typiſque vulgari viderit. Sed is talis, tantuſque vir, cum ad eam perveniſſet ætatem, qua colligere maxime ſe, conſolarique mentis optimæ conſcientia, parareque magis exercitatione virtutis, & religionis quotidiana ad ſalutis iter cogitaret, graviſſimo, eoque ſupremo morbo correptus eſt. Qui ſane morbus eum non deterruit, ſed confirmavit in ſuſcepta cogitatione. Quum enim purgationis, expiationiſque cauſſa id ſibi incommoditatis immiſſum exiſtimaſſet, ſeſeque totum libens in poteſtatem, voluntatemque permiſiſſet Dei, menſes ipſos undecim, quibus lenta eſt tabe conflictatus, in contemplatione divinarum rerum, in frequentandis ſacris, in lectionibus de pietate audiendis, conſumſit. Denique cum mira patientia, fortitudineque animi moleſtias morbi, incredibileſque dolores tuliſſet, Euchariſtia Viatici nomine ſæpe, bis vero extrema unctione ſuſcepta, ſeptuageſimo ſexto ætatis anno nondum exacto, Pridie Kal. Septemb. hora circiter xxi. deceſſit. Quæ cum ita ſint, eſt profecto, cur de illius perpetua requie bene eſſe ſperandum arbitremur. Sed ne quid illi, ſi forte egeat, deſit eorum, quæ vivens meruit, ut ſibi prodeſſent poſt mortem, ea vobis, quæ Conſtitutionibus *Diſt.* 1. *c.* 3. præſcripta eſt, ratione, præcipimus, ut quiſque Ordinis Sacerdos pro illius ſalute celebret Miſſas tres; Novitii, Velatæque Virgines Pſalterium ſemel recitent; Laici, Converſæque quingenta *Pater noſter* dicant, Conventus poſtremo, & Monaſteria, quæ ſuffragia mortuis adhiberi conſueverunt, cum officio, & Miſſa cantata, adhibere ne prætermittant. Ex-

Extremum eſt, ut certiores vos faciamus, ſtatim atque celebratum Ferrettio funus eſt, auctoritate officii noſtri electum, inſtitutum, datum a Nobis fuiſſe Ordinis Procuratorem Generalem A. R. P. M. F. Joannem Dominicum Villavecchia Socium noſtrum pro Provinciis utriuſque Siciliæ, & Provinciæ Regni Exprovincialem, virum ſane doctum, & legum Ordinis, inſtitutorum, conſuetudinumque peritum. Ad hunc igitur poſthac quidquid ad Romanam Curiam, Procuratoriſque Ordinis munus jure, conſtantive conſuetudine ſpectat, deferte. Revocate autem in memoriam Urbani VIII. P. M. conſtitutionem, 3. Decembris die an. 1635. ſcriptam, & publicatam, qua quidem conſtitutione iis decretis Ordinis perpetuam firmitatem acceſſiſſe conſtat, quibus *ſub pracepto formali*, & *pœna excommunicationis latæ ſententiæ*, a qua *tranſgreſſor* (niſi Magiſtri, Vicariive Generalis Ordinis auctoritate, præterquam in *mortis articulo*) abſolvi nequeat, aliiſque pœnis cautum fuerat, ne quis in Romana Curia negotium aliquod cujuſcumque generis per ſe, vel per alium quovis modo, neſcio Procuratore Generali, & non impetrata ab eo in ſcriptis facultate, tractare auderet. Valete Noſtri, Sociorumque in veſtris ſacrificiis, & precationibus memores.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam VIII. Idus Septembris an. MDCCLVII.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors

Magiſter Ordinis.

Reg.

Fr.

562870